



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Ver. 16. 17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSUS 16. 17.

Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestre, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

QVÆSTIO I.

An beatiore veteribus Apostoli?

fuerit antiquorum. Lux ea, quæ nunc omnibus affulget, tunc paucorum animos penetrabat, obscuritatem semper, quia de futuris sermo erat, adiunctam habebat. Nec beatiore Apostolis, qui nunc non vident, & credunt; Nam illi quoque multa non videntes crediderunt. Quod si aliquando quidam eorum tardi ad credendum sunt inuenti, id postea penitentia, & alacri celeritate expiarunt. Discimus itaque tempora, gradus vocationis, omniumque donorum à Deo statutos, nec ad eum sine Christo perueniri; quando & Prophetæ Christum videre cupierunt, vt S. Cyprian. l. 2. aduersus Iudæos num. 27.

VERSUS 24. & 37.

Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Qui seminat bonum semen, est filius hominis.

QVÆSTIO I.

Quis est paterfamilias?

§. 1. **V**erbi 24. vocatur homo, verbi 27. dicitur paterfamilias, verbi 37. dicitur esse filius hominis. & 41. dicitur in illis Angelos suos. Quæ omnia coniuncta, præsertim cum ager sit mundus, ostendunt Christi diuinitatem. Qui enim est non æconomus, sed paterfamilias totius mundi, qui triticum & zizania crescere iubet, cuius messorum & serui sunt Angeli, qui absoluto iudicio hos cælo recipit, illos inferis addicit, Deus est. Ille seminanti se confert, omnium enim manibus seminat triticum. Noster habet, *seminavit, ut egeu* legit. Adeum detrimenta serui referunt, Dominum appellant, ipse Christus vocat *מלך המלכות* mare baertha, dominum domus. Quod enim sit in familia, hoc sit in regno cælorum, seu in Euangelio. Seminatur à Christo bonum semen, à damone superseminatur zizania.

§. 2. Quam blasphemæ diuinum Numen conueniuntur atque irritent, qui illi tribuunt, quod nemo sanus bono patrifamilias imputaret, hinc apparet. Serui eius mirantur, & torquent se, vt sciant vnde sit malum, certo enim statuunt à Patrefamilias non esse. At si Calvinianus esset ille, nulla dubitationis adferri posset occasio.

Responderet Patrefamilias cum Szegedino Calvinista locis communibus, pag. 232. *Volui illa fieri, voluntate beneplaciti; nam si me nolente fierent, infirmus essem.* Imo facio, quod enim sic volo, hoc facio. vt Zanchius, Szegedius, alii, præsertim Vrinus volum. 1. operum Theolog. Pareus in Catechismo. Geneu. 1603. pag. 191.

Dicit cum Beza, Volum. 1. 417. *Non tantum ad damnationem, sed etiam ad causas prædestinasse solium; Volui ac volo solium hoc ad interitum creare.* pag. 738. *Hac mea voluntas est inuitabilis. Hoc malum in inimico peccatum est, in me minime.*

Zuingl. ad Philippum Hassum anno 1530. cap. 5. *[Potro, inquit, iniustitiam in se nobis ostendere numen cum nulla ratione posset, vt quod vndique verum, bonum, sanctum natura sit, per creaturam iniustitiæ exemplum produxit, non quasi creatura, illam suo Marte produxerit, quæ nec est, nec viuunt, nec operatur sine numine, sed quod numen ipsum auctor tot est*

§. 1. Renæus l. 4. cap. 24. præclare ostendit, quomodo beatiore Apostoli; cum enim omnes iusti aduentum cupide expectant, Apostoli tandem venientem exceperunt. Quoniam autem, inquit, non solum Prophetæ, & iusti multi præficientes per Spiritum aduentum eius, orauerunt in illud tempus venire, in quo facie ad faciem viderent Dominum suum, & sermones audirent eius, Dominus fecit manifestum, dicens discipulis. Multi Prophetæ & iusti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Quomodo igitur concupierunt, & audire, & videre, nisi præfissent futurum eius aduentum? Quomodo autem præfisse potuerunt, nisi ab ipso præficientiam ante accepissent? Quomodo autem Scriptura testificatur de eo, nisi ab vno & eodem Deo omnia semper per verbum reuelata, & ostensa fuissent credentibus; aliquando quidem colloquente eo cum suo plasmate, aliquando autem dante legem, aliquando vero exprobrante, aliquando vero exhortante, ac demum liberante seruum suum, & adoptante in filium, & apto tempore incorruptibilem hereditatem præstante, ad perfectionem hominis?

Salus igitur promissa tot sæculis expectata, Apostolis representata est. Prophetæ & iusti expectatione felices fuerunt, non igitur dubium, quin Apostoli fructu præsentis fuerint beatiore: eorum autem felicitatem comparat illustrissimis quibusque Prophetis, iustis, & Lucæ cap. 10. v. 24. regibus. Illi enim à longe aspexerunt, & salutarunt, nondum enim venit plenitudo temporis Hebr. c. 11. v. 13.

§. 2. Non sola autem corporali Messie præsentia, sed veritate gratiæ, & fide Apostoli beatiore fuerunt. Nam Christum quoque viderunt increduli, & beneficentiam experti sunt ingrati, iustis & Prophetis non modo non comparandi, sed etiam Tyrannis, & Sidoniis infeliciores futuri. Prætulit ergo Apostolos præfice, quia Thesaurum quem sperabant, exhibitum possederunt. Ita 1. Petri 1. 12. *Eos sciscitatos esse, sed illis fuisse reuelatum, quod non sibi, sed nobis ea ministrarent, quæ per Euangelium annuntiantur.* Porro duabus in rebus Apostolorum beatitudo consistit: Prima est, quod ita Christi in familia vitam egerunt, vt clarum mysteriorum cognitionem haurirent. Altera, quod institutione, & exemplo Christi id consuetudinem vitæ, vt magna caritate, gratiaque & miraculorum virtute pollerent. Quorum neutrum Prophetis, iustis, & regibus contigit. Magna igitur horum pauperum dignitas; Abraham, Dauid, Daniel, omnes opes, dignitateque deferere parati fuissent, vt vel vna die cum Christo conuersari potuissent.

§. 3. Non obstat Apostolorum felicitati, quod Abraham diem Domini vidit, & gaudens est; vidit enim in ænigmatæ, & Spiritu Prophetico, non quemadmodum Apostoli facie ad faciem. Hic sane status Apostolorum multo melior ostenditur, quam

Adam. Conzen in Euang. Tom. I.

Matthæi
112
Euangelia
CIV
18